§. I.

Juris patronatûs notio.

JUS *patronatus*, prout inpræsens spectatur, est *Jus singulare præsentandi Clericum ad Beneficium vacans, competens personis sive ecclesiasticis, sive laicis, qui sacra & venerabilia loca ædificârunt vel restaurârunt, vel dotârunt, comprehendens alias simul in compensationem hujus pietatis prærogativas.*

a) Alii aliam adferunt DEFINITIONEM *Juris patronatûs.* De quo vid. FLORENS ad Tit. *de Jure patron.* BOEHMER *in Jure eccles. prot.* ad eundem Titulum §. 4.

§. II.

Juris patronatûs Laicorum prima vestigia.

EX quo tempore LAICI, Ecclesiarum Patroni & Fundatores esse cæperunt, sacræ Leges mox specialia jura & prærogativas Laicis reservârunt, & quidem I) iisdem concedebatur locus honoratior in comitatu Episcopi ad Ecclesiam; *a*) II) Jus percipiendi suffragium vitæ, si Fundatores aut eorum filii redigerentur ad inopiam; *b*) III) Jus salutarem sollicitudinem adhibendi, ne ulla inferretur noxa bonis à se Ecclesiæ relictis; *c*) IV) Jus, ut eorum nomina recitarentur in Ss. Missæ Sacrificio, atque V) ut Presbyteri thuris suffitum, in signum eminentiæ, Fundatoribus exhiberent. *d*) Tandem Seculo VII. medio in Hispania laicis Fundatoribus reservabatur Jus Episcopo offerendi Rectores idoneos in Basilicis à se fundatis ab eodem ordinandos. *e*)

a) Ex Decreto GELASII P. I. circa annum 490. apud GRATIANUM *Can.* 26. *XVI. q. VII.* cf. BOEHMERUS in corpore Juris. can. Tom. I. *in notis ad hunc Canonem.*

b) In Concilio TOLETANO IV. an. 633. apud GRATIANUM l. cit. *Can.* 30. A. Cp 23 De jure-patr.

c) In Concilio TOLETANO IX. *an.* 655. apud GRATIANUM l. cit. *Can.* 31.

d) In Concilio EMERITENSI Hisp. an. 666. apud HARDUIN *Tom. III. Concil. p.* 1005.

 e) Jus

e) Jus hoc præsentandi in Concilio Tolet. IX. cit. *cap.* 2. laicis Fundatoribus adscribitur, & quidem sub pœna nullitatis verbis sequentibus: *decernimus, ut quamdiu Fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos... quodsi spretis superstitibus Fundatoribus Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordinari. Can.* 32. *XVI. q. XII.*—Quod Jus Seculo VIII. in Germania Fundatoribus Ecclesiarum extitisse reservatum est testis Constitutio S. BONIFACII *an.* 745. pro Germania edita: quâ prohibuit, *ut Laici non audeant munera exigere à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ.* Vid. COLLETI *Concil. Collect. Tom. VIII. col.* 310.

§. III.

Juris patronatûs Laicorum ab ecclesiastico prima distinctio.

HÆc eadem Jura omnibus Fundatoribus & Patronis sive Laici fuerint, sive ecclesiasticæ personæ reservabantur, adeo ut multis Seculis unius duntaxat generis *Jus patronatûs* fuerit; *a*) donec Seculo XIII. errore Glossatorum & DD. prima distinctio inter Jus patonatûs *laicum* & *ecclesiasticum* fuerit inducta, ex eo, quod sacris Canonibus *pro exercitio Juris patronatûs* diversum tempûs legerent constitutum, & quidem 1) TRIMESTRE in Concilio LATERANENSI III. an 1179. *b*) quod 2) ad QUADRIMESTRE *c*) & 3) ad SEMESTRE ab ALEXANDRO III. *d*) extendebatur; quod tempus cùm 4) INNOCENTIUS III. ad spatium QUADRIMESTRE limitaret, *e*) interpretes, ut hos Canones sibi invicem conciliarent, ajebant: INNOCENTIUM III. de Jure patronatûs *Laico*, ALEXANDRUM verò III. de Jure patronatûs *ecclesiastico* esse intelligendum.

a) FLORENS *ad Tit. de Jure patron.*

b) Apud HARDUINUM *T. VI. Concil.* P. II. *p.* 1680.

c) *C.* 3. *de Jure pat.* ubi in fine ex errore in Concilio Lateranensi III. statutum fuisse legitur *quadrimestre.*

d) *Cap.* 22. *eod.* Anno 1180

e) *Cap.* 22. *eod.*

Innocentius III electus A. 1198 obiit A. 1216.

§. IV.

§. IV.

Inde Dubium 1) nascebatur, an Jus patronatûs Clerici esset censendum ecclesiasticum?

Primæ huic differentiæ inter Jus patronatûs laicum & ecclesiasticum Jure nostro decretalium inductæ, mox jungebantur aliæ, ut 1) Patronus laicus variare posset, non verò ecclesiasticus; *a*) 2) ut Clericus patronus præsentans indignum eà vice Jure præsentandi excideret, *non* verò *Laicus*; *b*) 3) ut Legatus de Latere conferre posset Beneficium Juris patronatûs ecclesiastici non verò Laici; *c*) Hisce differentiis inductis mox sub Innocentio III. gravissimum movebatur dubium: an Jus patronatûs à personâ ecclesiasticâ possessum censendum sit laicum an ecclesiasticum? quod idem Papa resolvit sub distinctione: si Clericus *ratione Patrimonii* Jus præsentandi obtineret, *laicum*, si *ratione Ecclesiæ* vel *dignitatis*, censendum fore *ecclesiasticum*. *d*)

a) *C.* 5. *&* 24. *de Jure patron.*
b) *Ibidem.*
c) *C.* 28. *eodem.*
d) *Ibidem.*

§. V.

Dubium 2): an Jus patronatûs ex origine Laicum ad Ecclesiam vel Monasterium transiens fiat ecclesiasticum quoad præsentationem?

Dubium hoc prius an. 1298. mox excepit alterum, videlicet: *an Jus patronatûs, quod ex fundatione & dotatione foret à Laicis adquisitum, ad Ecclesiam vel Monasterium transiens redderetur ecclesiasticum, quoad præsentationem?* quod dubium BONIFACIUS VIII. resolvit in §. 1. *Cap. un. de Jure patron. in* 6. quam decisionem, quia præsentis Dissertationis objectum attinet, integram, prout extat in corpore Juris Bœhmeriano adferre placuit:

SUMMARIUM: *Laicus quadrimestre tempus habet ad præsentandum, Ecclesia verò semestre: licet à Laico adquisiverit Jus patronatûs.* Hoc dicit. Dominicus.

TEX-

TEXTUS. §. I. *verum licet Patronus laicus ad præsentandum tempus habeat quadrimestre duntaxat; Ecclesia tamen vel Monasterium, cui facta est à Laico Juris patronatûs collatio, tempus habet semestre: & omnino quantum ad præsentationem pertinet, non ut Patronus laicus, sed ut Patronus ecclesiasticus debet reputari.* *

* *De ecclesiasticis reputatur.* C. R.

§. VI.

Hanc Decisionem BONIFACII VIII. *extendebant ultramontani ad Regulas Reservationum papalium & quidem olim simpliciter.*

Natis post tempora BONIFACII VIII. Reservationibus papalibus Beneficiorum ecclesiasticorum, nata mox etiam quæstio fuit: *an Beneficia Juris patronatûs subessent Reservationibus?* quam decidebant Pontifices, condendo Regulam CANCELLARIÆ *a*) quà statuitur: ne super Beneficiis Juris patronatûs laici expediantur Literæ provisionis, nisi 1) *in Casu devolutionis*, aut 2) *cum Clausula: ut Patronorum consensus accedat*, atque 3) *si Principis foret Jus patronatûs expressa ejusdem mentio sit necessaria*; vi cujus Regulæ, dum Jus patronatûs ecclesiasticum credebatur subesse Reservationibus generalibus, rursus movebatur dubium inter curialistas, an Jus patronatûs ex origine suâ laicale collatum in Monasterium aut Ecclesiam censendum sit *ecclesiasticum* ad effectum, ut *Reservationibus papalibus* & *alternativæ* subjiciatur? quo in dubio OLIM practici Curiæ plures in Sententiam adfirmativam indistinctè abierunt docentes: *subesse Reservationibus. b*)

a) *Reg. Cancell.* 42. aliàs 40.

b) Seducti videlicet authoritate GLOSSÆ *ad §. 1. Cap. un. de Jure patronatûs in 6.* quæ verba textûs: *quantùm ad præsentationem*: extendebat ad præventionem & collationem Legati à Latere, vide GARCIAS *Tract. de Benef. Part. V. Cap. I. n.* 552. ubi ità quoque indistinctim decisum esse à Reverendissimis Patribus ROTÆ tradit.

§. VII.

§. VII.

Postea verò sub Limitatione & quidem, 1) nisi aliter in translationis Actu fuisset cautum.

Hæc opinio, quatenus indistinctè Jus ejusmodi Patronatûs laicum in Ecclesiam translatum subjicit Reservationum Regulis, displicuit postea Romanæ Curiæ Patribus, & æquioribus pragmaticis; quare hàc Limitatione opinionem istam circumscripserunt, *nisi aliter in ipso translationis Actu conventum sit*, atque in *qualitate Juris Patronatûs laicalis* in Ecclesiam translatum & ab eâ acceptatum; *a*) quemadmodum docet PYRRHUS CORRADUS. *b*) *Pulcherrimum dubium*, ait, *me Romanam Curiam insequente fuit in Rota propositum*: An Jus Patronatûs in Monasterium translatum *in qualitate juris Patronatûs laicalis* cadere debeat sub Regulis Reservatoriis? & *fuit resolutum*: Prædictum Beneficium esse Juris Patronatûs laicalis, licet illius Exercitium sit penes Ecclesiam, proinde non cadere sub dictis Regulis, *hæc Decisio*, pergit, *fuit tenta tanquam celebris*, & *circumferebatur per manus omnium ferè Curialium*. *c*)

a) LOTTERIUS *de re Benef. Lib.* 2. *Q.* 10. *n.* 8. Addens hanc rationem: quia absurdum est, quod Ecclesia in Parte approbet (translationis) Actum, & in parte reprobet. Hunc sequitur LEURENIUS *for. Benef. Sect. 1. C 1. q.* 16. *Quid sit Jus patronatûs laicale? n.* 7

b) *Lib. IV. Cap. II. n.* 58.

c) Mirabantur nempe practici Romani, judices Rotæ exigente Justitia *ex Parte* discessisse à praxi Majorum suorum, contra Reservationes Papales decidendo, Jus Patronatûs laicale, in Ecclesiam seu Monasterium translatum *in qualitate laicali* non subesse Regulis reservatoriis.

§. VIII.

Limit. 2) nisi Monasterium vel Ecclesia in quocunque mense esset in possessione præsentandi.

Altera, priorem Limitationem, circumscriptio pro nostro Casu novissimis temporibus per judices Curiæ Romanæ fuit agnita celebri decisione an. 1752 sub Benedicto XIV emanata: Occasio illius decisionis fuit ista: Vacabat in Diœcesi Trevirensi an. 1748 Parochia *Nider-Emmel* ad Mosel-

Mosellam in Mense Papali, de Jure patronatûs Carthusiæ Trevirensis, ex translatione nobilis Familiæ, à qua in *qualitate Juris patronatûs* laicalis fundatum fuit; Archiepiscopus Trevirensis t. t. Jure alternativæ ex Indulto concessæ Parochiam contulit Clerico A. Monasterium ad illam præsentavit Clericum B. qui lite coram Commissione Archiepiscopali deducta succumbens appellavit Romam, atque coram quatuor judicibus Commissariis à Benedicto XIV impetratis contra provisum Archiepiscopalem vicit *cum expe sis* ex hoc principio: *quòd Carthusia Trevirensis fuisset semper in quasi possessione præsentandi.* *a*)

a) Ratio decidendi inserta legitur ipsi Sententiæ judicum Romanorum cujus Copia authentica mihi nuper communicata fuit.

§. IX.

Indistinctè tamen ejusmodi Jus Patronatûs subesse eatenus volunt Romani Reservationum Regulis, ut possint Beneficia ejusdem Juris resignari in favorem coram Papa.

Præter has limitationes Practici ultramontani, aliam agnoscunt nullam, quinimo, teste praxi, pro nostra saltem Diœcesi, Jus patronatûs originetenus Laicum, postea in Ecclesiam translatum reddi eatenus saltem ecclesiasticum putant, ut, quanquam Beneficia Juris patronatûs Laici resignari in favorem sinè expresso Patronorum Consensu in Curia nequeant, neque juri Laicorum valeat derogari, renuntiari tamen in favorem coram Papa possint Beneficia Juris patronatûs Laici in Ecclesiam translati, non requisito imò invito patrono, ex Principiis 1) quòd Actus translativus privatorum imponere non possint legem Pontifici in quo est plenitudo potestatis, imò absolutum Dominium omnium Beneficiorum; 2) quia in Jure patronatûs ad Ecclesiam translato cessat ratio favoris juris patronatûs Laici, quæ est ista: ne retrahantur Laici à Fundationibus Ecclesiarum, 3) quia ex *Cap. un. de Jure Patron. in 6.* §. 1. tale Jus patronatûs pro ecclesiastico habendum venit, proin resignabile in Curia censetur. *a*)

a) De praxi Curiæ Resignatio quoque in favorem admittitur in Beneficiis juris patronatûs in Ecclesiam translati, quæ omni mense pertinent ad patronum (§. VIII.)

§. X.

§. X.

Pro Germania ejusmodi Jus Patronatûs non subest Reservationum Regulis ad Effectum Resignationis in favorem — 1) quia quantùm ad reservationem Jure patronatûs Laicorum semper censetur.

Quæ hactenus §. præc. diximus facilè transeunt, si principiis ultramontanis inhærere velis, at verò res tota aliter se habet, si punctum Juris, atque germanicæ nationis statum ac Jura consideres; quæ Jus commune quidem concernunt, ex *Cap. un. cit.* §. 1. Doctrina nostra facili negotio elicitur, si penitiùs attendatur, ad quæsitum, quod sibi propositum decidere Papa BONIFACIUS VIII. voluit; si verba ipsa, modusque decidendi considerentur. Quæstio, super quâ idem Papa consultus respondit, erat ista: *quo fatali temporis* in præsentando uteretur Ecclesia, quæ à laico adquisivit Jus patronatûs? nullatenus quæsitum fuit, an Beneficium Juris patronatûs à laico ad Ecclesiam translati esset *præventioni*, *reservationi*, aut *resignationi in favorem* obnoxium? hunc non fuisse quæstionis sensum innuit summarium prædicti textûs atque colligitur ex modo decidendi, qui summopere restrictivus est, atque tale Jus patronatûs laicum in Ecclesiam translatum reddi ecclesiasticum tantùm *secundum quid præsentationis* scilicet, disponit; quodsi enim omni ex parte atque in totum fieri ecclesiasticum voluisset Pontifex, cur terminis generaliter decisivis non utitur? cur ad *solam* præsentationem decisio restringitur? subintrare igitur hìc credimus Regulam interpretandi depromptam ex *Cap. 12. de decimis*: *quodsi Papa tale Jus patronatûs voluisset fieri ecclesiasticum simpliciter & in totum, utique id posuisset.* Alia enim & prorsus distincta hæc duo sunt, quantum ad præsentationem & quantum ad resignationem in favorem; porro quis credat, mentem Legislatoris canonici Bonifacii tum fuisse, ut vellet Jus patronatûs ejusmodi in Ecclesiam translatum fieri ecclesiasticum, quantum ad *resignationem* in favorem, cum hæc partus sit recentioris ætatis atque illo tempore prorsus incognitus. *a)*

a) Penitus igitur exorbitans est tum à mente Legislatoris, tum textu decisivo, qui particulam prorsus limitativam in ore habuit, tum à sanis interpretationum Regulis antiquata illa Curialistarum sententia, quæ tale Jus patronatûs ex translatione in Collegium ecclesiasticum

prorsus in *ecclesiasticum* transmutari tuetur — neque opponas nobis authoritatem *Glossæ ad C. un. cit. in 6.* quæ tale Beneficium veluti ecclesiasticum collationi Legati à Latere ex translatione in Ecclesiam subjici opinatur, etenim *Glossa* in multis exorbitat, atque mentem Papæ decidentis sæpissimè haud assequitur. Vid. *Diss.* NOSTRA, exhibens *Syllogen Juris eccles. antiqui, medii & novissimi* ed. Treviris 1772.

§. XI.

II) *Quia ejusmodi Beneficia non subsunt alternativæ mensium.*

Postquam ex famoso *Cap. un. cit. de Jur. pat. in 6.* nihil erui posse in favorem Reservationum papalium quoad Beneficia Juris patronatûs laici in Ecclesiam translati, hactenus vidimus; restat ut inquiratur, *an ex Concordatis Germaniæ ostendi queat talia Beneficia subesse alternativæ mensium ibi stabilitæ?* nihil desuper videmus in Concordatis; etenim 1) certissima & ab omnibus Juris sacri germanici Antecessoribus doctrina adoptata est, ut, cùm Reservationes sint odiosæ ordinariis Collatoribus Germaniæ, semper, si dubium oriatur, contra Reservationes sit pronuntiandum; *a*) quando Jus patronatûs ex origine laicum transit ad Ecclesiam, dubium oritur: *an eatenus mutetur Juris patronatûs natura, ut transeat in numerum reservatorum?* in dubio hoc, nonne applicanda constans & recepta Regula in favorem Patroni ordinarii? nonne præsumptio est fortissima, *Jus patronatûs* tamdiu pristinam suam conservare libertatem contra Reservationes, quam ex origine habuit, donec evidenter doceatur, Nationem germanicam voluisse talia Beneficia includi in Reservationum Legibus? at verò 2) Natio germanica potius hæc Beneficia à Reservationibus omninò libera esse voluit; etenim in Instrumento Concordatorum Aschaffenburgensium stabilitâ alternativa, relinquitur ordinariis Collatoribus, QUI EAM NB. ACCEPTARE VOLUERINT, tempus congruum acceptandi; igitur, qui Collatores alternativam non acceptârunt, Reservationibus immunes existunt, ceu plures hodie Ecclesiæ sunt in Germaniâ ex hac causa alternis mensibus haud obnoxiæ: *b*) quis verò credat, Ecclesiam, ad quam Jus patronatûs ex origine laicum post Concordata cum bonis transit, Jus patronatûs eatenus acceptare, ut simul acceptet alternativam, quam

accep-

acceptare non tenetur? an Collatoribus invitis, Authores Concordatorum obtrudi alternos menses voluerunt contra expressam Concordatorum literam? nonne potiùs expressa mens est tum transferentium, tum acceptantium, ut, in quocunque mense Beneficium vacabit, liberum sit exercitium Juris patronatûs? *c*) quare etiam Reverendissimus ac Eminentissimus Archiepiscopus noster etsi Indultarius in mensibus reservatis collationem talium Beneficiorum, si per obitum in suis mensibus sint vacantia, prætendit nunquam.

a) Atque ex hac Regula Interpretes Germaniæ Concordatorum docent Jus patronatûs mixtum non subesse Reservationibus, propter illarum odium, & favorem ordinariorum Collatorum.

b) Cf. BARTHELIUS *Diss. III. ad Concord. germ.*

c) Miramur itaque dari posse Interpretes Juris, qui Pacta Germaniæ quoad Reservationes extendenda esse ajunt, ad Beneficia Juris patronatûs laici, post Corcordata fundati, post ea in Ecclesiam translati, cùm de iis tempore Concordatorum ne quidem fuerit cogitatum.

§. XII.

Ergo nec subsunt facultati resignandi in favorem in Curia.

Quodsi ejusmodi Beneficia non subjaceant alternativæ Mensium, ceu illa non subjacere §. præc. ostendimus, atque nequidem ab Indultario conferri posse novissimè judicatum (§. VIII.) fuit; prona ex Legibus Imperii nostri fundamentalibus est sequela, ut neque subsint Reservationum Regulis quoad Resignationes in favorem; etenim Capitulatio Cæsarea Art. XIV. §. 1. disertis Verbis disponit: *Wir sollen und wollen auch in künftiger unserer Regierung, bey dem heiligen Vatter dem Pabst, und Stuhl zu Rom unser beßtes Vermögen anwenden, daß von demselben, gleich Wir ohnehin des Vertrauens seynd, die Concordata Principum, und die zwischen der Kirche, päbstlicher Heiligkeit oder dem Stuhl zu Rom und der deutschen Nation aufgerichtete Verträge, wie auch eines jeden Erz- und Bischofen, oder deren Dom-Capitulen, absonderliche Privilegia, hergebrachte Statuta und Gewohnheiten allerdings beobachtet,*

 und

und dagegen durch unförmliche Gratien, Rescripten, Provisionen, Annaten, der Stift-Mannigfaltigung, Erhöhung der Officien im römischen Hof, und Reservation, Dispensation, und sonderlich RESIGNATION, *dann darauf* UNTERNEHMENDE COLLATION *allsolcher Præbenden, Prælaturen, Dignitæten und Officien (welche sonsten per obitum ad Curiam Romanam nicht devolviret werden, sondern jederzeit, obnerachtet, in welchem Monat sie auch ledig und vacirend würden, denen Erz- und Bischöfen, auch Capitulen und* ANDEREN COLLATOREN *beimfallen) wie weniger nicht per Coadjutorias Prælaturarum Electivarum & Præbendarum super Statu Nobilitatis, oder in andere Wege, zu Abbruch deren Stifteren, Geistlichkeit, und anders wieder gegebene Freyheit und erlangte Rechten...* ZU NACHTHEIL DES JURIS PATRONATUS *in keine Weise gehandelt.* Hæc Dispositio Imperii fundamentalis post repetita sæpiùs Gravamina à patronis interposita contra reservationes Papales ex Capite Resignationum in favorem pro Imperio, fuit condita; *a*) vi illius Legis pollicetur Augustissimus sese defensurum Jura Patronorum sive ecclesiasticorum sive laicorum contra resignationes *Beneficiorum, quæ nunquam per obitum ad Curiam Romanam devolvuntur*, sed in quocunque mense vacant, ab Ordinariis conferuntur, atque hanc suam Protectionem sæpissimè Imperator Patronorum ac Jurium germaniæ Protector interposuit, ceu exempla plura manutenentiæ attulit cl. SCHLÖER Juris sacri Antecessor Moguntinus. *b*)

a) Cl. NELLERI Diss. *de Statu resignat. in favorem* &c. in Thes. Schmitt T. VI.

b) Diss. *ad Concord. german. de reserv. Benef. ex qualit. vacat. per Resignationem &c. Ed.* 1777. *§. ult.*

§. XIII.

Et quidem nullâ consuetudine contraria obstante.

At verò consuetudinem resignandi Beneficia illa, quæ nunquam per obitum ad Curiam devolvuntur, sibi obstare forsan credant Patroni? R. nequaquam — Etenim 1) Actus universali lege Imperii constanter & iteratis vicibus contradicti, operari consuetudinem, quæ Jus tribuit, non possunt;

possunt; ejusmodi Actus Resignationum Beneficiorum in Curia, quæ per obitum adhanc devolvuntur nunquam, à tempore, quo Articulus XIV. §. 1. Capitulationi Cæsareæ insertus fuit, publica hàc Imperii lege contradicti sunt, atque in Capitulat. novissima sub moderno Augustissimo contradicebantur, ut prorsus salvum & integrum fuerit conservatum Jus Patronis Ordinariis conferendi Beneficia semper in quocunque Mense *inattentis Resignationibus in favorem.* Deinde 2) quando hactenus securæ transierunt Resignationes Beneficiorum apud Sedem per obitum nunquam vacantium, id potissimum ex eo factum fuisse credendum est, quòd Patroni Antecessores, Resignationis ac respectivè provisionis Romanæ Bullam acceptando, hanc provisionem ratam habendo *suam* fecerint, quæ secuto Ratihabitio, atque Consensûs interpositio Jus Patronatûs illæsum conservavit, neque Legem imponere potuit Successoribus, quibus factum Antecessoris nocere haud potuit, eò magis, quòd talis consuetudo impedire nequeat Augustissimum & Summum in Germania Jurium ecclesiasticorum Protectorem, ne Jus suum supremæ Advocatiæ interponat, quòd à Gravatis Jure merito imploratus exercet, & vi Capitulationis Cæsareæ interponere tenetur.

§. XIV.

III) *Quia Resignationes Beneficiorum, quæ ad Curiam per obitum nunquam devolvuntur, sapiunt præventionem, quæ est contraria Concordatis.*

Tertia demum Ratio, quare Beneficia, per obitum ad Curiam Romanam nunquam devolvenda, neque subsint facultati Resignandi in favorem, ex eo petitur, quòd ille præventionis modus circa Collationes Beneficiorum summè odiosus visus sit Nationi Germanicæ nec non Patribus Concilii Tridentini; quare in Concordatis literaliter statuitur, quòd *Sanctissimus Dominus noster per quamcunque aliam Reservationem, Gratiam expectativam, aut quamvis aliam Dispositionem sub quacunque Verborum forma . . . non impediet Collatores Ordinarios &c.*; *Præventionem* sanè inter modos Collatorum Ordinariorum impeditivos comprehensam volebant summi paciscentes, igitur favore Ordinariorum prohibitam, quandocunque illos in Jure conferendi præventione impediri contigerit; quodsi igitur sint Patroni (sunt autem plurimi in Germania) qui alternativam,

seu

ceu ipsis liberum erat, non acceptârunt, sed Jus conferendi semper retinuerunt, ad hos quoque pertinere Concordata prætendimus, ne præventione turbentur; quid enim lucri habuissent si non acceptata alternativa, prælegissent *præventionis modum*? — Resignationem verò in favorem Patronis inconsultis imò invitis, quibus Jus est præsentandi pro omni mense, esse unum eumque præcipuum *præventionis modum*, quis ignorat? quando enim beneficiatis (quorum obitu ex infirmitate Beneficia vacabunt, aut quos Beneficiorum pluralitatem vel scientiæ defectum, sacri Canones cedere Beneficiis urgent) clandestinis suis Resignationibus, Patrono penitùs contempto, resignare liberum est in favorem, ad hanc sequitur *provisio*? nonne hâc provisione præventus est patronus, atque ligatur ipsi manus, ne conferre possit, Beneficium, quod nunc vacat per obitum, aut vacabit ex aliis causis canonicis?

§. XV.

Extensio nostræ Doctrinæ prima.

Quodsi igitur Beneficia, quæ ex origine sua sunt de Jure patronatûs laici postea ad Ecclesiam transeuntis, in omni mense ab *ordinario Collatore*, etsi hic ecclesiastica sit persona, aut, Ecclesia vel Monasterium, sint conferenda, ut nequidem Reverendissimus Indultarius in mense papali si vacabunt, ea conferre possit, (§. VIII.) evidens ac Legibus fundamentalibus Germaniæ apprimè quoque conforme est, ne Patronis invitis resignentur in favorem Romæ *a*) ast prorsus absit, ut hanc nostram doctrinam ad hæc solum Beneficia limitemus; Verba enim Capitulationis Cæsareæ supra relata generaliter disponunt, & quidem de *omnibus Patronis*, absque discrimine, an laicus sit, an ecclesiasticus? prohibentur enim Resignationes Beneficiorum, quæ in omni mense *à Capitulis & aliis Collatoribus* conferuntur &c. Certum autem est sub his Verbis indistinctè omnes omninò patronos comprehendi; nihil porro refert, quâ ratione patroni etiam ecclesiastici Jus conferendi in omni mense obtinuerint; ajunt enim Verba subsequentia: *wider gegebene Freyheiten und erlangte Rechten zum Nachtheil des Juris patronatûs und der Lehenherren in keine Weise gehandelt &c.*

a) Hæc enim Jure ecclesiastico germanico necessaria est sequela, vi Legum fundamentalium: *Beneficium omni mense ad Collatorem pertinet*

tinet, quocunque modo id demum obtinuerit, ergo non est resignabile in Curia ad favorem; quanquam hoc principium non agnoscant illi, quibus vel Leges Imperii ignotæ sunt, vel perperam credunt Resignationes Beneficiorum veluti objectum ecclesiasticum non pertinere ad Leges Imperii, vel absque Fundamento putant contrariam consuetudinem prævalere posse contra Leges nostræ Germaniæ in Curia.

§. XVI.

Extensio nostræ Doctrinæ altera.

Equidem ex principiis hactenus suà sponte sequeretur Doctrinam nostram intelligendam quoque esse de Beneficiis curatis & parochiis; verùm operæ pretium erit, ut specialem earum hìc mentionem reddamus; *Jure communi decretalium* major semper favor ac ratio habita fuit per summos Pontifices Beneficiorum curatorum, quàm aliorum; utì ad oculum patet ex *C. 35. de Præb. in 6.* quòd Sede apostolica vacante nulla sit eorum reservatio, imò etsi vacaverint ante Vacantiam Sedis apostolicæ; in Concordatis sub alternativà mensium non contineri illa verior est Sententia Interpretum Germaniæ; ut prorsus rectè de his scribat P. Wolff. SCHMIDT *a*) sequentem in modum: "Ecclesias parochiales in Titulum " perpetuum conferri solitas sub Concordatorum Verbis (*de alternativa*) " non comprehendi ex jam stabilita ratione, quod nomine Beneficii ge- " neraliter positi, in materia Reservationum ceu odiosa haud intelligantur " Ecclesiæ curatæ, *b*) & quamvis Regula IX. Cancellariæ juxta commu- " niorem & proprium Verborum tenorem: *omnia Beneficia ecclesiastica* " *cum Cura & sine Cura* &c. Beneficia parochialia comprehendat, " quia tamen hæc Regula sub iisdem Verbis nostris Concordatis non fuit " inserta, sed potiùs in hoc ipso passu modificata, plurimumque restricta, " rectè nos asserere arbitramur, Beneficia parochialia vi Concordatorum " hoc loco non esse reservata. His accedit, quòd pro obtinenda collatione " à romano Pontifice tempus subinde non modicum requiratur, cum " manifesto Ecclesiarum incommodo & animarum periculo: quæ causa " ipsum summum Pontificem (*addimus nos*: etiam Episcopos & Principes " Germaniæ) commovit ut sub generali expressione Beneficii Ecclesias parochiales " nollet contineri" — Quare hodie nulla ferè etiam in Archidiœcesi

nostra

nostra Coloniensi est Ecclesia parochialis, quæ subsit alternativæ mensium; sic Coloniæ pleræque *Viâ electiva* conferuntur, — quæ Monasteriis incorporatæ existunt, ab his in omni mense conferuntur; quæ ad collegiatas Ecclesias pertinent, ab his quoque de iis providetur — in Collegiis illustribus mixtis Parochiæ omni mense ad Collationem Abbatissarum spectant ex earum Statutis. — Igitur ex his prona & evidens est applicatio Doctrinæ nostræ hactenus traditæ ex Capitulatione Cæsarea, videlicet: Ecclesias parochiales non posse Romæ resignari in favorem, etsi sint Juris patronatûs ecclesiastici, quia, in quocunque mense vacabunt, nunquam per obitum ad Curiam Romanam devolvuntur.

a) *Instit. Jur. eccles. Lib. III. p.* 428.

b) BARBOSA *L.* 3. *C.* 4. *n.* 87.

§. XVII.

Applicatio prima Doctrinæ hactenus traditæ ad Casum particularem.

Restat, ut ad Jus patronatûs laicum in Collegium ecclesiasticum translatum redeuntes Doctrinam à nobis traditam ad casum quendam individualem applicemus — an. 1726 contractu empti venditi inter Comitem de V. & Abbatiam H. inito in hanc translata sunt bona cum inhærente iis Jure patronatûs ad Sacellum S. Georgii in *Widdig* sub clausula concernente: — *So dan das Jus patronatûs Sacelli ad S. Georgium von sein Herrn Verkauffers Großeltern in qualitate Juris laicalis fundirt* — mortuo nuper beneficiato præsentavit ad Beneficium tanquam per obitum vacans Abbas Monasterii Clericum R. qui Beneficii mox possessionem cepit — apparuit brevi postea Frater defuncti H. cum Bulla Resignationis romanæ. Quærebatur, quis sit triumphaturus? pro proviso ab Ordinario contra Resignatarium stat justitia evidens ex principiis hactenus adlatis quia hoc Beneficium non subest alternativæ, ergo nec facultati resignandi; non subest alternativæ 1) quia sub tali *qualitate fundatum* expressis terminis transfertur in Monasterium, ergo ex principiis Curiæ non redditur ecclesiasticum (vid. §. VI.) ad effectum ut subsit Regulis reservatoriis: 2) in dubio: an hæc Verba sint translativa sub *qualitate laicali*, ex Regula

(§. XI.)

(§. XI.) tradita præsumendum est in favorem patroni contra reservationum Regulas, utpote odiosas, esse sub hâc qualitate translativa, 3.) hoc Beneficium ex origine sua & natura primigenia exceptum est ab alternativa odiosa, ergo præsumitur retinuisse naturam primævam ab onere reservationis liberam, donec clarè doceatur subjacere reservationibus, res enim præsumitur in qualitate suâ nativa, donec probetur illius mutatio. *a*) 4) Etsi concedamus tantisper fieri ecclesiasticum per translationem, *non* redditur tamen tale *ex omni parte*, *b*) sed solùm *secundùm quid præsentationis*, non secundùm qualitatem reservationis (§. X.) 5) alternativa mensium in Concordatis relinquitur libera, qui eâ gaudere voluerint, nihil tale est in nostro Beneficio, super quo de acceptatione alternativæ ne verbum constat, imo præsumendus est patronus non consensisse in alternativam utpote odiosam, nisi doceatur consensus. 6) Demum quia Reverendissimus ac Eminentissimus noster Indultarius nunquam apponit manus ad talia Beneficia, sed sinit Jus hoc patronatûs individuale intactum, quod non fieret, si subesset alternativæ; ergo ex Capit. Cæsarea nec poterit resignari in favorem Romæ. *c*)

a) Neque dicas facilem esse imò favorabilem Ecclesiis transmutationem Juris patronatûs, de laico in ecclesiasticum, cùm Jus patronatûs laicum sit servitus, in dubio autem Ecclesia præsumitur libera à servitute? ℞ 1) Dum Jus patronatûs in Collegium ecclesiasticum transit, an per hunc transitum Ecclesia liberatur à servitute Juris patronatûs? nonne æquè Ecclesia, quæ ante servit laico nunc servire tenetur Collegio ceu Patrono; tali igitur transitu solùm mutatur persona Domini, cui Ecclesia servire tenetur. ℞ 2) An liberari Beneficium onere patronatûs laicalis tali transitu dicendum est, ad effectum ut novæ servituti toti Nationi germanicæ odiosæ visæ, seu oneri reservationis subjiciatur? quis major germanicæ Nationis favor, Beneficium subjicere Juribus patronatûs laici, an subjicere reservationibus contra mentem Concordatorum? ℞ 3) An in servitutem redigi dici rectè potest Ecclesia, dum hæc totum suum esse, quod habet, debet Fundatori laico, qui sibi reservat oblationem ministri tanquam conditionem? asserere malumus, Jus patronatûs laicum in Ecclesiam transiens fieri solùm secundùm quid præsentationis, ecclesiasticum, quàm illud simpliciter fieri & ex toto ecclesiasticum, ut in servitutem reservationis redigatur.

b) Ejusdem quoque est opinionis Cl. NELLERUS ad C. un. *de Jur. patron. in 6.*

c) Ne-

c) Neque Patrono seu Monasterio & proviso ab illo obstat: quòd Benedictus XIV. Beneficium quæstionis contulerit ex *Jure devoluto* ob negligentiam patroni, ubi in Bulla provisionis Pontifex summus narrat hoc Beneficium subesse reservationum Regulis: Etenim 1) Provisio ex Jure devoluto juxta *C. 2. de Conc. præb.* est Juris expressi, cui subest etiam Jus patronatûs laicum, ergo inde non infertur reservatio alternativæ. 2) Quid si narrativa provisionis dicat Beneficium Juris patronatûs laici subesse reservationis? num propterea Beneficium erit reservatum? & negativè, ità nec narrativa in casu præsenti, hìc enim quærenda & decidenda res est ex Legibus Germaniæ, quas narrativa Bullæ subvertere non potest.

§. XVIII.

Applicatio altera Doctrinæ traditæ.

Superest postremò, ut Doctrinam expositam ad casum pro nostra Diœcesi facilè possibilem applicemus; in Concordatis provisionalibus an 1621. inter Ferdinandum Archiepiscopum Coloniensem & Wollfgangum Wilhelmum Ducem Jul. & Mont. conventum inter alia de Jure patronatûs fuit sequenti modo: *da die weltliche Patronen innerhalb vier Monathen die Præsentation nit thâten, solle uns Pfalzgraf* WOLLFGANG WILHELM *&c. als Landsfürsten die Provision innerhalb zweyen Monaten reservirt bleiben, und in Unterlassung dessen dem Ordinario das Jus devolutum zu gebrauchen bevorstehen. a)* Hæc Dispositio pactitia est omnino singularis, quia reservatur Domino territoriali Montensi *Jus devolutum*, si Patronus laicus sit negligens & intra quadrimestre non præsentet, exercendum intra duos menses; quodsi igitur Ecclesia, cui collatum est Jus patronatûs ex origine suâ & fundatione laicum, sit negligens quæritur 1) an Ecclsiæ currat quadrimestre tanquam Patrono laico, an semestre veluti ecclesiastico? quæritur 2) an tale Jus patronatûs quoad effectum Juris devoluti sit censendum ecclesiasticum? an laicum? & ad 1) distingue: si *sub qualitate laicali* ad Ecclesiam devenerit, erit simpliciter laicale, & præsentabit eo in casu Ecclesia *Jure laicorum* arg. *C. 28. de Jure patronatûs*; si sinè qualitate illa, erit ecclesiasticum secundùm quid *præsentationis* ex *textu*, & *juncto summario C. un. de Jure patron. in 6.* Ad 2) & si sub qualitate Juris patronatûs laicali ad Ecclesiam sit translatum, negligente Ecclesia Dominus territorialis præsentabit lapso quadrimestri, manet enim laicale simpliciter etiam quoad præsentationem (vid. §. VII.) si sinè hâc qualitate Ecclesia obtinuerit Jus patronatûs ex origine laicum, non gaudebit Dux Montensis,

ne-

negligente Ecclesia, Jure devoluto; qua hoc in casu ejusmodi Jus patronatûs redditur ecclesiasticum *secundùm quid præsentationis* ad effectum ut Ecclesia gaudeat *semestri* ex *C. un. de Jure pat. in 6.* Dux verò Montensis sibi reservavit expressè in concordatis cit. Jus devolutum quoad Jura patronatûs laicorum, quibus currit *quadrimestre* in Verbis: *da die weltliche Patronen* INNERHALB VIER MONATEN *die Præsentation nicht thâten*, cùm igitur hæc Reservatio sit singularis & contra Jus commune, ultra expressum tenorem non est extendenda. *b*)

a) Vid. Codex MAXIMILIANEUS *T. I. p.* 29.

b) Non est Doctrina nova, quâ per Decursum hujus Dissertationis diximus Jus patronatûs ex parte esse posse ecclesiasticum, & ex parte laicale, exemplum aliud in promptu habes, quod ab omnibus cordatis Canonistis Germaniæ admittitur: in Jure patronatûs mixto, quod unà ex parte quoad favorem semestris ecclesiasticum reputatur, *quoad reservationes & alternativam mensium* ac alia odiosa venit Jure patronatûs *laici*, quam Doctrinam ipse adeò P. SCHMIER, reservationibus aliàs multum serviens, tradit in *Jurisprud. Can. civ. L. 3. tract. 1. P. 2. C. 3. n.* 277. adde Ant. SCHMIDT. *Instit. J. eccl. ger. T.* 1. *p.* 203. *ed.* 2.

§. XIX.

Conclusio Dissertationis.

Atque hæc sunt, quæ quoad Beneficia Juris patronatûs præcipuè illius, quod ex origine laicum est, & postea in Ecclesiam translatum delibavimus, an subsint reservationum Regulis, præsertim an resignari queant Romæ in favorem? de cetero per hæc recedere nolumus à Doctrinâ aliàs tradita, quòd universim resignationes in favorem, quæ in Curia romana fiunt, adversentur Concordatis Germaniæ; hanc tamen Doctrinam generalem de resignationibus universim in favorem nondum admitti unanimiter à Celsissimo Judicio Viennensi aulico, privatim novimus, in quo an. 1750. hæc quæstio multum fuit disputata, votis in paria divisis, voto decisivo tunc non secuto. — Interim his, quæ scripsimus nullius Jura lædere volumus, sed quod officium nostrum est, inhærere veritati cupimus, addentes, quod sub sanctissimo Domino nostro Papâ PIO VI. æquitatis & Justitiæ vindice, Jura Germaniæ ne lædantur, aut metuendum sit nunquam aut si ad ipsum meliùs informandum sumatur recursus à gravatis, ab ipso sit sperandum solamen, quo invito illatum fuit gravamen.

TANTUM.

THE-